



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Lectori Meo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

LECTORI MEO.



Ernans illud & ardens fraternæ chari- Cor. II.
 tatis malogranatum Apostolus Paulus
 ita exemplo sui vnumquemque nostrum
 ad eandem inhortatur: Quis infirmatur
 & ego non infirmor? non doleo? non af-
 fligor? non succurro quacumque ope pos-
 sum? & rursum ad Rom. 12. Gaudere (ita legendum cum bi-
 blijs Romanis & Græcis: non, gaudete; scilicet gaudere oportet)
 cum gaudentibus, flere cum flentibus; quasi dicat: O
 Christiani ea sit sympathia inter vos, vt fratrum bona vel
 mala æquè vnumquemque vestrū ac illos tangant. Et meri-
 to, si quid enim patitur vnum membrum, nōne compatiun-
 tur omnia membra? vt sic membrum patiens dolore leuetur
 non per communionem cladis sed per solatium charitatis. Spi- 1. 3. hom.
 nam calcatur pes, inquit Sanct. noster Legislator Augustinus, 16.
 oculus loco remotissimus proximus efficitur charitatis affe-
 ctu; illuc conuertuntur omnia membra, spina dor si incuruat se,
 oculi quærunt, manus operantur, cor dolet, lingua conqueri-
 tur, nihil vacat in homine ad subueniendum. Et aureum illud
 os eloquentiæ Constantinopolitanus Episcopus: Si patiat
 oculus, omnia dolebunt, omnia cessabunt, non pedes
 ibunt, non manus operabuntur, non frui iam consuetis
 cibis ventri lubebit, oculorum licet sit dolor. quid ventrem
 oculo mordes? quid pedes remoraris? quid manus vincis? quia
 innexa naturā sunt omnia, modoq; ineffabili compatiuntur.

Om-

Omnes quotquot sumus vnum corpus sumus in Christo,
singuli autē alteralterius membra & membra de membro. Si
ergo natura in corpore tantā inter singula membra sympathiā
procurat & seruat, quantō maiorem gratia Dei quae multō
est potentior, Christianorum erga inuicem efficere debet? Ec-
ce superiori anno, imō & hoc ipso currente, praelia non solum
hic in Belgio audiuius, verū etiam luctuosis oculis specta-
uimus & tantū non absumpti sumus gente in gentem &
regno in regnum armatā manu consurgente. Exitum tandem
belli Deo propitio, obsidionis Bredanae nono mense nacti su-
mus, sed non finem dolorum. Vrbs cessit, hostis recessit, sed ho-
stium omnium maximus successit. peiora etenim aut saltem
vix mitiora multiplicantur flagella, fames nempe & quae hu-
ius ordinaria pedisequa est, pestilentia, nam Graecum sed non
mendax adagiū est, μετὰ λιμὸν λοιμὸς, post famem pestis. Bel-
lum siquidem, fames & pestis germanam inter se seruant af-
finitatem & consequentiam. nempe ex bello & vastatione
hostili regionum, relinquuntur agri & deserti & inculti ob
metum belli, inde penuria frugum & quia non possunt ob in-
festationem viarum tutō victualia ex abundantiori regione
in egentem deferri, nascitur fames, & quoniam tempore fa-
mis non sumuntur conuenientia alimenta sed qualia haberi
possunt, gignuntur in corporibus mali humores ex quorū pu-
trefactione oritur in corpore pestis quae ex interiori infectio-
ne corporum serpit per contagium in plures inuaditque do-
mos & vrbes, sicut est dies haec. Grassatur enim magis ma-
gisque in dies vires acquirendo contagiosa lues per totam hanc
nostram

nostram Brabantiam nullo discrimine parentes, fratres cognatos secum abripiens. Non compatiemur super contritione eorum & quibus possumus modis opitulabimur? certè caritas urget nos, atque ut hunc libellum spiritualia remedia pro auertenda peste instar apothecæ spiritualis continentē adornarem, me imprimis impulit. maximè cum tot dilectos mihi in Christo Confratres evidenti huic periculo in parœcijs nostris quas ultra triginta in sola Brabantia habemus, ob Sacramentorum administrationem aliâque pastoralia munia expositos quotidie videam, è quibus iam trium hebdomadarum spatio tres, qui tamquam veri pastores pro grege suo animas suas posuerunt, mors violenta absumpsit: qui ut in benedictione æterna quiescant, mecum apprecare. Quin & sexdecim adhuc loca illorum curæ demandata pestifero hoc igne succensa sunt, morte in foribus propè existente, nonnullis eorum igne eodem correptis quem restinguere dignetur, qui tribus pueris fecit medium fornacis quasi ventum rois flantem. Qui suorum & maximè domesticorum curâ non habet, fidem negavit & est infideli deterior, inquit Apostolus. Si Poëta gentilis verè monuerit: Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet: quanto magis Christianus secum ratiocinabitur: Parentes mei, fratres mei, cognati mei in summo discrimine sunt constituti (nam proximus ardet V calegon) an non mea res agitur, an præceptum charitatis me non hortatur & urget ut eis subueniam, ut succurrã, ut malū inpendens auertam? & si non manu coram possim, saltem deuoto corde, pijs precibus, virtutum operibus, sacris suffragijs alijsque spiritualibus

tualibus exercitijs id ipsum præstem? Neque solum mihi
scopus est aut eò tantum deseruit hæc Apotheca ut pro-
ximorum solummodo curam habeamus; unicuique ex ea
providetur, & quæ ac qualia in tali necessitatis articulo
pro se (nam charitas incipit à seipsa) suisq; proximis re-
media usurpare debeat, illa demonstrat. Porro non Ma-
chaonem aliquem hic me profiteor, neque Galeni aphoris-
mos aut Hippocratis artes veluti circumforaneus quis-
piam agyria aut expertus aliquis corporalium infirmita-
tum Doctor medicinae diuendo.

Non ego sum medicus Podalyrius aut Epidaurus,
Phyllirides Chiron, Pæoniisque senex.

Numquam cepit me ista schola, neque eius discipulus
vnumquam fui, ideoq; intra pelliculam meam me contineo.
Sed mens mea hæc est; breuiter proponere & suggerere pro
fragilitate virium mearum quam spiritualia remedia
tempore grassantis pestilentiae pia mater nostra Ecclesia
pro filijs suis sollicita, instituere, usurpare & frequenta-
re soleat, & quibus sancti viri, cordati Catholici pro ea
auertenda omni æuo vsi fuerint, nosq; eorum laudabilia
vestigia insequentes vti debeamus, ut tantum malum à
corporibus & finibus nostris opitulante Deo quam lon-
gissime auerruncemus. scilicet, Iuua te ipsum, & iuuabit
te Deus. Deinde quinam Sanctorum potissimum in pa-
trocinium & adiutorium contra pestem inuocandi qua-
nam precum formulæ usurpandæ, bona opera quæ tunc

ex-

exercenda, & similia horum plura quæ diligens in scruti-
nio & usu huius Apothecæ deprehendet.

Præsumptionis argui timerem quod iuuenis eam artem
doceam quam parum didici secundum illud vulgatum,

Quodque parum didicit nemo docere potest.
Sed charitas non cogitat malum, & lubens fateor ut ille, non
sum medicus & in domo mea non est panis. neque enim hæc
pharmaca quæ hic suggero ex cerebro meo ipse confeci, aut in
mortariolo propriarum adinventionũ contudi vel paravi, sed
ex sacra Scriptura, SS. Patribus, authenticis historijs (apa-
ge quod semper odi & arceo apocryphorũ vulgus) aliorumq;
Doctorum & piorum scriptis ad quæ omnibus æquale ius
est, in vnum collegi, ijsq; hanc spirituales meam Apothecam
instruxi, ita ut hic non tam mea quàm aliorum prostituam.
Illud demum Lectorem meum si quis fuerit, pro amore eius
qui amor est omniũ nostrũ, humiliter rogo, ut hunc meum
qualemcumque conatum eo affectu æqui bonique consulat,
quo ego eum assumpsi, candido scilicet & verè fraterno. So-
lus enim amor iuuandi proximos quem omnibus debeo, ad
eum me impulit. ita scribo, sentio & si uo eum pro longæua
omniũ nostrũ salute & infirmitatũ curatione deprecans
qui tamquam verus Samaritanus misericordiã super nos mo-
tus, & ad nos à latronibus despoliatos & multis plagis affe-
ctos misereque desertos è cælo appropians, alligauit vulnera
nostra infundens oleum misericordiæ & vinum spiritualis
consolationis. Vale & hæc ama si salutem tuam amas.

S. Augustinus lib. i. de Trinitate.

Nec pigebit me, si tibi hæsito, querere: nec pudebit, si tibi erro, discere. Proinde, quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, querat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, reuocet me.

S. Cyprianus in libro de Mortalitate.

Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, id est, multi ex nostris de sæculo liberantur. Mortalitas ista ut Iudæis & Gentilibus & Christi hostibus pestis est, ita Dei seruis salutaris excessus est. inprovidi & ingrati sumus fratres dilectissimi ad diuina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria sua virgines venientis Anti-christi minas & corruptelas & lupanaria non timentes. Pueri periculum lubricæ ætatis euadunt, ad continentiaæ atque innocentiaæ præmium feliciter perueniunt. tormenta iam non timet delicata matrona, metum persecutionis & manus cruciatuque carnificis moriendi celeritate lucrata. Pa-uore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignaui, desertores compelluntur ut redeant, gentiles coguntur ut credant. Sed fortassis aliquis obponat & dicat: Hoc me ergo in præ-senti mortalitate contristat quod qui paratus ad confessionem fueram & ad tolerantiam passionis toto me corde & plena virtute deuoueram, martyrio meo priuor dum morte præuenior. Primo in loco non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium; nec potes te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere.